

N:o 8-12 ihm. Helsingistā. 13(3)

DISSERTATIO ENTOMOLOGICA  
INSECTA FENNICA

ENUMERANS.

CUJUS PARTICULAM PRIMAM  
CONS. AMPL. FACULT. PHILOS. ABOËNSIS

PUBLICÆ CENSURÆ SUBJICIT

Mag. CAROLUS REGINALDUS SAHLBERG

Med. Doct, Adj. Fac. Philos. Ord. & Insp. Mus.  
Soc. Imp. Nat. Studios. Moscov. & Soc. Imp.  
Oecon. Fen. Membrum.

RESPONDENTE

CAROLO JOHANNE BOIJ,

Stip. Publ. Satac.

In Auditorio Juridico die 15 Dec. 1817,

b. a. m. s.

---

ABOÆ, Typis FRENCKELLIORUM.

FENNICIS ENTOMOLOGIS

SACRUM.

---

## PROOEMIUM.

Cum insignem usum, quem ad incrementa Historiae Naturalis adjuvanda & promovenda præstat diligentior per vestigatio & accuratior illarum rerum cognitio, quas singulæ terræ regiones, pro cœli soleque diversitate, producere valent, satis superque perspexerint omnes sagaciores laudatæ scientiæ cultores, laudabili studio iidem quoque in id incubuerunt, ut Catalogos vel Indices, discretis terræ partibus proprias naturæ proles ordine certo recententes, conficerent. Assiduis nempe eorumdem observationibus laboribusque factum est, ut quævis fere Orbis Europæ regio non solum suam jam habeat universalem Faunam Floramque, totum animalium vel vegetabilium indigenorum complexum si stentes, verum etiam, quod facillimum reddit Naturæ studium, ut rerum naturalium Classes Ordinesque plures, nec non diversa genera & singulares species eximiis descripta sint Monographiis. At vero, si ulli animalium cohorti investigandæ & systematice ordinandæ, recentioribus imprimis temporibus, diligentior adhibita est cura operaque, in Insectorum quoque agmine in lucem protrahendo &

ad artis præcepta instruendo valde ac felici cum successu desudarunt viri nostræ ætatis doctissimi. Cujus rei documenta cum aliunde peti possint permulta, luculentissimi certe sunt testes laudanda Entomologorum Svecicorum studia. Post editam enim ab illustrissimo a LINNÉ Svecicam Faunam, Insectorum patriæ detegendis, monographice describendis & ab exoticis seorsim percensendis indelessam navarunt operam Svecici: THUNBERG, PAYKULL, GYLLENHÅL, SCHÖNHERR, FALLÉN, BILLBERG, QUENSEL, DAHLMAN, MARKLIN, alios ut præterea, qui sua circum domicilia novas horum animalculorum species invenerunt, & sic rem Entomologicam Sveciæ insigniter adjuvarunt. At Finlandiæ nostræ Insecta nondum esse satis perlustrata nec separatim disposita & descripta, omnes artis periti sciunt, & qui patriam amant Faunam optimo jure queruntur. Quamvis enim Eleuteratorum fere omnia, quæ hactenus in Fennia inventa sunt, cæterorumque Insectorum hujus regionis plurima nuper laudatorum Svecicorum Entomologorum libri ac indices complectantur, licetque rariores quædam species, quas PFEIFF, HAST, ARGILLANDER, TÖRNER, FALANDER nostratiuncque alii detexerunt, &, quo describerentur, ad Svecicos Monographistas miserunt, Fennicæ originis esse indicentur, parum tamen lucis Fennicæ speciatim Entomologiæ inde affulsiisse, facili intelligitur negotio. Neque nostro Lyceo unquam defuerunt viri,

qui summa inclarescerent Entomologica doctrina, & diligentia maxime laudabili tam indigena quam exotica Insecta investigarent, sed hi ipsi universali Entomologiæ locupletandæ, quam Fennicis Insectis sigillatim recensendis suam impendere maluerunt operam. Quod ut clarius perspici possit, scriptorum, quæ Insectorum attingunt scientiam, a Fennicis Entomologis editorum indicem huic loco apponere juvat.

DAN. ACHRELIUS: Contemplationum mundi Dissert. XIX:a, Volucrum, Piscium, Serpentum, Dracorum & Insectorum ideas atque dotes ostentans; Resp. *Sv. Wetter*; vel novo Titulo: Contemplationum mundi Libri tres, Ab. 1632 4:o. (De Insectis: p. 330, sqq.)

PETR. HAHN: De vera Insectorum vulgo sponte nascentium Genesi; Resp. *Nic. Kjellberg*, Ab. 1703, 2:o.

CAR. FRID. MENNANDER: De Usu Cognitionis Insectorum; Resp. *Chr. Björklund*, Ab. 1747.

De Serico ex Telis Aranearum; Resp. *A. M. Carling*, Ab. 1748.

JOH. LECHE: Novæ Insectorum Species; Resp. *Is. Uddman*, Ab. 1753.  
Ed. II:a cur. *G. W. Fr. Panzer*; Norimb. 1790, 4:o.  
(centum, Insectorum descriptorum plerique fennici sunt soli.)

PETR. KALM: Om den så kallade Gräs- eller Ångs-  
masken, samt dess förekommande och utödande;  
Resp. *D. Alcenius*, Ab. 1766.

Dissertationis, descriptionem Historiamque In-  
sectorum quorundam sistentis particula; Resp. *Joh.  
Kerchström*, Ab. 1778. ("Opus Lepidopteris non-  
nullis describendis destinatum, sed propter in-  
stantem promotionem Magisterialem & subsecu-  
tam Auctoris mortem, in prolegomenis subsistens  
unius tantum plagulæ. Rarum hanc ob caussam  
fragmentum, sed rarius etiam cum annexa tabu-  
ja, qua Phalænæ aliquot cum larvis suis & chry-  
salidibus, itemque cum Ichneumonis specie, de-  
pictæ sistuntur." Vid. *J. F. Wallenii Faun.  
Fenn.* p. 5.)

P. A. GADD: Insecta Piscatoribus, in maritimis  
Finlandiæ oris, noxia; Resp. *C. N. Hellenio*,  
Ab. 1769.

Chemico-Entomologisk undersökning om sättet att  
utrota och förminska Sädes-masken; Resp. *O. R.  
Bökman*, Ab. 1762.

GABR. BONSDORFF: Historia Naturalis Curculionum  
Sveciæ; P. I. Resp. *L. G. Borgström*. P. II.  
Resp. *P. A. Norlin*, Ups. 1785. (Curculiones  
brevirostres percensentur & describuntur.)

Lucani Genus j mte två nya species beskrifna;  
Sv. Vett. Acad. N. Handl. Tom. VI. p. 220, sqq.

Differentiae Capitis Insectorum præcipue, exemplis  
illustratæ; Resp. G. U. Pryss, Ab. 1789.

Organa Insectorum sensoria generatim, oculorum-  
que Fabrica & Differentiae speciatim; Resp. A.  
Sevon, Ab. eod. anno.

Fabrica, Usus & Differentiae Antennarum in In-  
sectis; Resp. O. B. Rosenström, Ab. 1790.

Fabrica, Usus & Differentiae Palporum in Inse-  
ctis; P. I. Resp. F. Ahlman; P. II. Resp. L.  
Björklund; P. III, D. J. Monselio; P. IV, Resp.  
J. Lund & P. V, Resp. J. Bergman, Ab. 1792.

C. N. HELLENIUS: Specimen Calendarii Floræ &  
Faunæ Aboënsis; Resp. J. G. Justander, Ab. 1786.

Försök till beskrifning på ett nytt Genus bland  
Insecterna, som kunde kallas Serropalpus; Sv.  
Vett. Acad. N. Handlingar, Tom. VII. p. 310.

JOH. JULIN: Förteckning på Djur i Ulcåborgs Län;  
Ny Journal uti Hushållningen 1792 p. 105 - 132.  
(684 Insectorum species, in Fauna Svecica Linn.  
descriptæ, enumerantur.)

JOH. FRID. WALLENIUS: Historia & Descriptio Pa-  
rœciæ Mändyharju; Resp. A. G. Törnudd, Ab.  
1814. (51 Insecta recensentur.)

Cum igitur, ut ex indice allato videre est, admodum parca sint adhuc Entomologiæ Fennicæ initia, ac præsertim cum Faunam illam Fennicam, cuius prima Particula, Mammalia & Aves complectens, sub præsidio viri, e nostratibus de Historiæ Naturalis studio optime meriti, ad Lyceum Aboense Professoris Celeberrimi D. JOH. FRID. WALLENII, anno 1810 prodiit, continuatam, ut optavimus, excipere nobis nondum licuerit, quin levidense munusculum Faunæ patriæ amantibus offerrem, in animum inducere non potui, nemini illorum ingratum id sare persvasissimum habens, si tantummodo Insecta colligere & ordine disposita debito spectanda proponere valerem. Verum enimvero, cum latissime pateat Finlandia, nec mihi omnes ejus campos sylvasque, permagno Insectorum numero idonea amenaque præbentes domicilia, perlustrandi occasio tempusque contigerit, si quæ a me prætermissæ fuerint horum animalculorum species, quas vel jam invenierint harum rerum curiosi, at sibi reconditas tenuerint, vel olim detegere potuerint, longiori tamen abuti excusatione eo minus necesse habeo, quo major sit rerum colligendarum multitudo, quo parciores sint, unde illas ducere queam, fontes, tandemque quo magis novum & incognitum prodeat hocce opusculum permultis Insectorum collectoribus, qui ad illud perficiendum symbolam quandam benigne conferre, ut credere fas est, vix recusassent. Ne

autem illa adjurēta, quibus, incipiendam a me appellam, pluris suis partibus & numeris expletam reddere valeam, inexcusabili quadam aut incuria aut arrogātia neglexisse videar, Vos, quorum Insecta conquirere interest, & quibus sacrum volui hoc opus, omnes & singulos amicissime rogo, velitis, qui vester est in Entomologiam Fennicam amor, quas in diversis, ubi domicilia vestra habeatis, Fen-niæ regionib[us] vel jam collegistis vel in posterum inventuri estis Insectorum indigenorum species varietatesque, easdem mecum diligenter communicare. Insigne, quod mihi, si voti compotem me feceritis, præbebitis favoris documentum, gratissima semper agnoscam mente, & quæ vestræ debeam auctoritati vestrisque laboribus, fideliter adnotabo.

De ipsius operis ratione pauca præfaturus omnium prima id significatum volui, Systema a FA-BRICO conditum, qua Ordinum vel Classium dispositionem, me fore secutum. Cum vero in quavis Insectorum Classi percensenda probati cujusdam Entomologi in universum adhibere constitui methodum, qui insimul numerosissimam specierum Fennicarum copiam exponit, igitur Eleuterata primum, eadem serie iisdemque nominibus, quibus usus est illustrissimus GYLLENHAL, Insecta Svecica perlustrans, enumerabo. Deinde, ut tirones Fennici, qui excursiones Entomologicas facere cupiunt, breve habeant quaecunque Enchiridion, characteres tam generum quam

specierum, quos concinnavit laudatus GYLLENHAL, addere haud inutile duxi. Longiores autem descriptiones non nisi novis vel in Libro Gyllenhaliano non recensitis, si quas proferre valuero, speciebus vel varietatibus, subjungam. Synonymis cæteris plerumque supersedebo, eximiamque solummodo a D. SCHÖNHERR editam Synonymiam citabo. Habitationis denique locum cuique speciei proprium, quem more solito apponam, eo accuratius indicare potero, quo diligentius, qui per diversas Fenniæ regiones Insecta pvestigare amant, suas de illorum domiciliis observationes mecum communicaverint.

---

# INSECTA FENNICA.

## CLASSIS I.

### ELEUTERATA.

*Maxilla nuda, libera, palpigera.*

#### SECTIO I.

*Tarsis omnibus quinque-articulatis.*

Familia I. Scarabæides.

Antennarum Capitulo lamellato, vel horizontaliter fissili.

#### SCARABÆUS.

*Mandibula cornea falcata.*

*Maxilla basi cornea, apice membranacea.*

*Labium late emarginatum.*

*Corpus ovatum, undique convexum, scutellatum.*

*Clypeus parvus angulatus subdepressus.*

A. Sc. stercorearius: niger, subtus violaceus, clypeo unituberculato, thoracis disco impunctato, elytris subsulcatis, interstitiis lævibus.

Schönh. Synon. I. 26. II.

Habitat in stercore, ubique frequentissimus.

## SCARABÆUS.

2. *Sc. sylvaticus*: niger subtus violaceus, thoracis disco punctis sparsis, elytris striatis, interstitiis transversim strigosis.

*Schön. Synon. I. 27. 12.*

Habitat in fungis, in succo destillante arborum & quisquiliis sylvarum haud infrequens.

3. *Sc. vernalis*: cyaneus totus, thorace undique confertissime punctato, elytris subtilissime punctato-striatis.

*Schön. Synon. I. 27. 13.*

Var. b. Supra niger.

Habitat in stercoratis, præsertim tempore vernali, frequens. Var. b. rarius occurrit.

## PSAMMODIUS

*Mandibula cornea, arcuata, dentata.*

*Maxilla brevis cylindrica, intus dente armata.*

*Labium ovatum, obtusum, vix emarginatum.*

Corpus parvum, oblongo-ovatum, undique convexum, scutellatum. Clypeus brevis latus convexus.

1. *Ps. elevatus*: niger nitidus, clypeo laevi emarginato, thorace punctulato, elytris gibbosis punctato-striatis.

*Aphodius elevatus Schön. Synon. I. 84. 63.*

Habitat in sabuletis rarissime. Aboæ quædam hujus specimina semel legit D. Boucht; ad Brinkhall Parœciæ Sanctæ Catharinæ D. P. A. Bonsdorff; in Hauho D. Savenius.

2. Ps. sabuleti: nigro-piceus, oblongus, clypeo integrō thoraceque crebre punctatis, elytris profunde punctato-striatis.

*Aphodius sabuleti* Schönh. *Synon.* 1. 86. 75.

Habitat in sabuletis rarior.

### TROX

*Mandibula crassa cornea,*  
*Maxilla apice bifida,*  
*Labium subemarginatum,*  
*Palpi articulo ultimo ovato, crassiore.*

Corpus supra valde convexum, scutellatum subtus planum, Antennae breves, articulo primo crasso fasciculato-piloso.

2. Tr. sabulosus: niger, thorace inæquali, elytris substriatis, interstitiis alternis elevationibus fasciculato-hispidis.

*Schönh.* *Synon.* 1. 117. 4.

Habitat in locis aridis tempore imprimis vernali passim.

2. Tr. arenarius: niger obscurus, elytris punctato-striatis, interstitiis omnibus punctis fasciculato-pilosus.

*Schönh.* *Synon.* 1. 118. 6. *Cfr.* 1. 118. 7.

Habitat in arenosis rarius; ad Wasam D. *Hast & Wasastjerna*; in Savolaxia D. *Savenius*.

### APHODIUS

*Mandibula basi dilatata, cornea, apice membranacea, integerrima.*

4  
APHODIUS.

*Labium coriaceum rotundatum, apice emarginatum.  
Palpi posteriores glabri, articulo ultimo tenuiore.*

*Corpus oblongum convexum, scutellatum. Clypeus amplius, semi-orbiculatus.*

Clypeo tuberculato.

1. Aph. Fosser: brevis convexus ater, clypeo tuberculato tribus, medio subcornuto, elytris leviter punctato-striatis.

Schön. Synon. I. 66. 2.

Habitat in stercore ubique frequens.

Obs. Femina differt tuberculis clypei minoribus & foveola thoracis nulla vel obsoletissima.

2. Aph. terrestris: brevis convexus ater, clypeo trituberculato, elytris leviter punctato-striatis, intersticiis opacis punctulatis.

Schön. Synon. I. 69. 13.

Habitat in stercore haud infrequens.

3. Aph. foetens: niger nitidus, clypeo trituberculato, thoracis angulis, elytrorum limbo abdomineque rubris.

Schönh. Synon. I. 67. 8.

Var. b. Elytris rubris, disco postico tantum nigro.

Schönh. I. c. var. β.

Var. c. Elytris rubris immaculatis.

Schönh. I. c. var. γ.

## APHODIUS.

5

Habitat in stercore; var. c. in Fennia australi passim legitur, var. b. rarissime obvia & var. a nondum in Finlandia, quantum mihi innotuit, capta.

4. Aph. fimetarius: clypeo trituberculato, niger nitidus, abdomen concolore, thoracis angulis elytrisque totis rubris.

Schönh. Synon. i. 71. 19.

Habitat in stercore ubique frequens, praesertim tempore vernali.

5. Aph. lapporum: oblongus parum convexus, niger, clypeo trituberculato, thorace longiore punctatissimo, elytris rufis, pedibus piceis.

Schönh. Synon. i. 72. 21.

Habitat in Lapponiae stercoratis *D. Grape*; in traetibus Wasæ *D. Hast* & *Wasastjerna*.

6. Aph. erraticus: brevis ater punctatissimus, clypeo unituberculato, elytris subdepressis griseo-lividis striatis, interstitiis punctulatis.

Schönh. Synon. i. 72. 22.

Habitat in stercoratis Fenniae australis passim.

Obs. variat elytris nigro-fuscis apice pallidioribus.

7. Aph. subterraneus: brevis subdepressus, niger nitidus, clypeo emarginato trituberculato, elytris crenato-sulcatis.

Schönh. Synon. i. 70. 18.

Habitat in stercore ubique primo vero non infrequens.

Obs. variat rarius elytris fusco-castaneis.

8. Aph. haemorrhoidalis: brevis niger; clypeo trituberculato, scutello magno elongato; elytris crenato-striatis, apice rufis.

*Schönh.* i. 78. 41.

Habitat in stercore passim.

9. Aph. granarius: niger nitidissimus; clypeo subtuberculato, thorace parce punctato, elytris tenui punctato-striatis, margine versus apicem rufofusco.

*Aphodius carbonarius* *Schönh.* *Synon.* i. 77. 40.

Habitat in stercore & terra pingvi passim.

10. Aph. granum: niger, clypeo linea elevata, thorace crebre punctulato, elytris punctato-striatis, apice late rufis.

*Aphodius granarius* *Schönh.* *Synon.* i. 77. 39.

Var. b. *Duplo minor.*

*Aphodius pusillus* *Schönh.* *Synon.* i. 88 & 90.

Var. c. *Elytris totis rufo-ferrugineis.*

*Schönh.* l. c. var.  $\beta$ .

Habitat ubique in stercore frequens.

11. Aph. tristis: niger clypeo linea elevata subtuberculata, thorace immaculato punctulatissimo, elytris striatis, interstitiis punctulatis.

*Schönh.* *Synon.* i. 78. 42.

Habitat apud nos rarissime; in Parocia Eura semel captus.

12. Aph. piceus: nigro-piceus, clypeo trituberculato, thorace punctatissimo angulis anticis rufis, elytris profunde punctato-striatis.

*Aphodius inquinatus*, var.  $\beta$ . Schönh. *Synon.*  
1. 74. 25.

Habitat in stercoratis Lapponiæ, *D. Grape*; ad vicum Laivaniemi Paræciæ Tornæ, *D. Mannerheim*; ad Wasam, *D. Hast & Wasastjerna*.

13. Aph. inquinatus: brevis, niger nitidus, thoracis angulis macula rufa, elytris griseis maculis nigris, interioribus tri-compositis.

Schönh. *Synon.* 1. 74. 25.

Var. b. Maculis elytrorum plerisque connexis

*Aphodius nubilus* Schönh. *Synon.* 1. 74. 26.

Var. c. Maculis elytrorum omnibus connexis, aream centralem includentibus.

Schönh. *Synon.* 1. 74. 25. var. d.

Habitat in stercore frequens.

14. Aph. conspurcatus: oblongus, niger, thoracis lateribus pallidis, elytris tenui punctato-striatis pallidis, maculis septem nigris distinctis.

Schönh. *Synon.* 1. 73. 24. a)

Habitat in stercore præsertim equino passim.

15. Aph. tessulatus: brevis convexus, niger immav-

a) Synonyma a *D. Schönherr* allata, non omnia haic competere speciei, observavit *D. Gyllenhal*,

## APHODIUS.

culatus, elytris griseo-pallidis, fasciis obliquis testellato denticulatis nigris.

Schönh. *Synon.* l. 75. 32.

Habitat in stercoratis rario.

16. Aph. sordidus: livido-testaceus, parum convexus, thoracis disco nigro parce punctulato, corpore pedibusque nigro-varii.

Schönh. *Synon.* l. 75. 33.

Var. b. Elytris puncto humerali fuscō.

Schönh. l. c. var. β.

Var. c. Elytris puncto humerali &c altero pone medium fuscis.

Schönh. l. c. var. γ.

Habitat in stercore frequens.

17. Aph. rufescens: rufo-ferrugineus, convexior; thoracis disco nigro punctatissimo, pedibus immaculatis.

Schönh. *Synon.* l. 76. 34.

Var. b. Elytris plaga disci nigricante.

Schönh. l. c. var. ε.

Var. c. Elytris fere totis nigro-piceis, margine dilutiori.

Schönh. *Synon.* var. d.

Var. d. Elytris macula humerali, alteraque pone medium fuscis.

Not. Quoad situm macularum, varietati c. Aphodii Sordidi valde similis; sed ob colorem rufescentem thoracisque discum crebre punctatum huic speciei subjungenda. A varietate b. differt maculis distinctis, nec in plagam confluentibus.

Habitat in stercoratis frequens; Variedades b & c rarius obveniunt; var. d semel capta,